

# ANTIDOTARIUM SPECIALE

à Io. Iacobo Vveckero  
Basiliense

EX OPT. AVTHORVM TAM VETE-  
rum quàm recentiorum scriptis fideliter congestum,  
methodicè digestum, & amplius  
triente auctum.

*M. Daniel Leuins. flops. 12.*  
CVM DVOBVS ELENCHIS  
locupletis. *Gruidentini*

*Collegii  
Societatis*

*M. 1739 N. 2*



CVM PRIVILEGIO AD AN. DECEN.

BASILEAE

PER EVSEBIUM EPISCOPIVM,  
& Nicolai Frat. hæredes.

M D XXCIIX.

*158.*  
*Ex libris Joannis Georgij Welleri Cantabrigie et Indicae  
Suburbani Cely.*

demq; principio, quate si geminum erit principium & origo diuersa, statim suspicio oritur, ne sint illius ani-  
malis renes in uescas inuoluti: quod etiam ex magnitudine eorum apparet: nam testiculi sunt, ut Plinius tra-  
dit, multò minores. Quod si non ita grandes essent, & tamen principium esset diuisum; erunt & ipsi ita cōcin-  
nati: sed cum Gummi & Ammoniaco & sanguine, ut antea diximus: non enim fieri potest, ut duæ uescæ repe-  
riantur, & unica tunica inclusæ, & præterea nullum animal reperitur, quod istius figuræ haberet testiculos.  
Legitimi Castorei liquor est resinofus, grauis & ingrati odoris, ualidi & mordacis saporis, fragilis, & circum-  
datus pluribus tunicis natiuis. Fugiendum est nigrum & rancidum, nam (si uerum est quod Auicenna scripsit)  
hoc spacio unius diei, eum, qui intra corpus sumplit, interficit. Nonnulli perhibuerunt, genuinum tam acuti  
esse odoris, ut una tantum uice naribus appositum sanguinem eliciat. Dioscorides uero sternutationem ciere  
dicit: quod etiam signum est eius uehementiæ, quemadmodum patet in Helleboro albo, dum contunditur.  
Nec mirari debemus, inter tam multa alia medicamenta hoc unicum, quod opij frigiditatem summam retun-  
deret, fuisse selectum: nam præter id quod calidam habeat facultatem, partium quoq; est subtilium, ut forsi-  
tan magis quàm alia omnia medicamenta penetret, & opio in æquali efficacia opponatur: quod si illi alia  
quædam calida & aperiens res adderetur, ut est crocum, piper, aut simile quippiam, tantum adiuuaret pene-  
trationem, & dilataret uias opio, at non ita ualidum esset, ut opij uires euidenter frangeret: quod tamen  
utrunque Castoreum potenter præstat: quanquam magis propter alteram causam, ut nimirum refrænet eius  
malignitatem illi addatur: ne aliàs (quod nonnulli faciunt) opium necesse sit leuiter comburi, ut eius uis non  
nihil minuatur. Quod tamen etiam Galenus lib. 3. de comp. Medic. secundum loca reprehendit cap. 1. ubi exa-  
minat Apollonij compositionem ad dolores aurium. Cum itaq; Castoreum tanti momenti sit, nec reperitur  
aliud quippiam quod illi substitui possit, curandum, ut optimū & maximè genuinum habeatur, ne ipsius re-  
spectu Antidotus non assequatur suam perfectionem.

QVAE interiore uentriculi gallinæ sinu residet membrana, secti in laminas cornus specie similis (ea uerd  
inter coquendum abiici solet) siccatur, \* tritaq; in uino conuenientissimè stomachicis datur in potu. Diosc.

INTESTINA LVPI per longum & per transuersum digiti medij longitudine scindantur, & lauentur  
uino, aut aqua fœniculi, uel rutæ: inde in clibano, ut alia exiccantur. \* Ad colicos efficax est. Colonienfes.

GENITALE CERVI, sanguine prius probè expresso, uino aut aqua aliqua abluitur: deinde in furno  
probè exiccatur, reponiturq; in loco sicco. \* Tritum, & in uino potum, à uipera demorsis auxiliatur. remoran-  
tibus urinis ac coli cruciatibus affectis auxilio est, si ubi aqua probè fuerit elotum, ipsa statim ablutionis bi-  
batur aqua. Aiunt, in puluerem tritum, & iis medicamentis inditum, quæ uenerem excitant, ea ualentiora effi-  
cere. Quin & dysentericis mederi magno successu à nonnullis expertum est. Diosc. & Matthiolus.

RENES SCINCORVM, q crocodili sunt terrestres, siccati seruantur. \* Venerè excitant: sperma augent.

VESICA SVIS, quæ terram non attingit, pubi imposita, urinam ciere fertur. Plinius.

UMBILICI INFANTIS recenter nati, portiuncula in annulo gestata, pollere fertur contra morbum  
caducum, & capitis, coliq; dolores: Albertus.

VESICA OVILLA, uel caprina, cremata, & ex posca bibita, uel leporis testiculus ex uino odore coctus  
& potus, iis qui urinam inuiti reddunt, bene facit. Galenus.

## De Ossibus, Sectio XXII.

VNICORNVS Græcis monoceros dicitur. \* Huius animalis cornu ramentū ex uino potum, iuuat par-  
tum, & secundas educendas: nec non sudorem, ad uenena, pestilentiamq; abigendam, potu salubriter  
excitat. Datur à granis sex ad drachmam semissem, uel integram. Andernacus.

EBVR nihil aliud est, quàm Elephantinorum dentium materies. \* Vim astringendi obtinet. Scobs illita  
paronychia sanat. Ad albas mulierum fluxiones præstat, si in tenuissimum puluerem, lapide porphyreo redi-  
gatur, propineturq; ex lactuæ seminis cremore, aqua, in qua chalybs extinctus fuerit, prius macerato semine.  
Rasura morbo regio laborantibus, ante cibum ex uino datur: si febris adest, ex aqua cichorij, & lupulorū. Sin-  
gulariter etiam ad uermes in febribus ualet: quia eos non, ut reliqua calfacientia, auget. Confert etiam diutur-  
nis obstructionibus, & stomachi dolores abigit: huius potu mulieres ad concipiendū foetum aptissimæ red-  
duntur. Diosc. Matthiolus, & Andernacus.

CERVINVM cornu \* tostum & elotum, binis ligulis epotum, prodest dysentericis, excreantibus sangui-  
nem, coeliacis, regio morbo, & uescæ doloribus cum tragacantha: foeminis fluxione uulue laborantibus, cum  
liquore huic rei accommodato. Cerui cornu contusum, crudo fistili, luto circumlito, & in furnum indito, uri-  
tur donec albescat. Id cadmiæ modo elotum, ulceribus oculorum, & defluxionibus salutare est: infrictū den-  
tes expurgat. Crudi cornu suffiti nidore serpentes fugantur: seruefactum in aceto, si eo gingiuæ colluantur,  
maxillarum à dentitione dolorem adimit. Diosc.

OS DE CORDE CERVI, \* omnibus cordis affectibus confert. contra omnia uenena mirificè præ-  
stat, antidotisq; admiscetur, quæ pestilentia aduersantur. Sed cauendum est, ne huius loco seplasiarij bubulā  
tracheam arteriam accipiant in compositionibus, ut facere consueuerunt. Matthiolus.

CRANII HOMINIS \* in puluerem redacti drachma ex aqua betonicæ assumta comitialibus prodest.  
Primum autem aqua elui, deinde uino debet, ut facilius ad partem affectam penetrare queat. In paralyfi ex a-  
qua betonicæ, uel hyssopi lauandum est detritum & paratum diligenter. Andernacus.

OSSICVLVM VERTICIS, triangulare, ad formam lapidis piscis cyprini, uulgò carpionis dicti, in cal-  
uariæ uertice, ubi futuræ committuntur, intus subsistit. Id, ubi scalpello penetraueris, statim foras profilit, a-  
natomicis hætenus incognitum. \* Idem (inquam ossiculum) nummi Germanici cruciferi appellati magnitu-  
dine, diuinum epilepsiæ remedium est: quod morbum hunc aded efficaciter curat, ut is nunquam reuertatur:  
siquidem Paracelso fides adhibenda est. Andernacus.

ACCIPITRIS ossa aurum attrahunt, ut Aelianus scribit. Ad hæc à Brusonio, adnotante Georgio Fabri-  
tio, gallinarum ossa auro liquefcenti admista, illud in se consumit.

OSSA LVPI exiccata, & in puluerem redacta ad morbum intercostalem, ad ictus, & puncturas ualent.

OSSA paruula, quæ inueniuntur in prioribus leporis pedibus, ad urinas potenter mouendas profunt, si  
pulis illorum cum uino albo exhibeatur.

OS Sepiæ ad eundem affectum feliciter præscribitur.

De OSSIBUS brachij humani aliquid, & summitate alæ anseris gestatum, quartanam curat: item contra ar-  
thritidem & quoduis ulcus depascens, summè prodest humani brachij, uel tibiæ os combustum, facto pulue-  
re ex eo quod album intus mansit, & parti affectæ appposito. Geber.

DENTIS apri puluis exceptus oleo linino, cynanchen presentissimè curat, si locus affectus tangatur, cum  
extremitate pennæ tali mistura imbutæ. Auicenna, & Arnoldus.

**A** Ex BVBALORVM cornibus annulus concinnatus, ac gestatus, guttam grampam, ut uocant, hoc est musculorum suræ conuulsionem impedit. Idem etiam præstat, idq; certo certius, unguæ Alces portiuncula nuda, uel annulo inclusa, & gestata. Mizaldus.

## De Medullis, Sectio XXIII.

**C**ERVINA MEDULLA laudatissima est. Colligitur, præparatur, & reponitur, ut bubulina. \* Ceruina perunctos uenenata fugiunt. Mollit, rarefacit, ulcera explet, &c. Dioscorides.

\* VITVLINA secundum locum in bonitate obtinet. Colligitur eodem tempore, eodemq; modo conficitur, ut bubulina. \* Vim habet indurata & scirrhosa corpora emolliendi siue musculis, siue tendonibus, siue ligamentis id accidat, siue etiam uisceribus. Pesi ex hac componuntur, uteros emollientes. Galenus.

BVBVLINA medulla tertium in bonitate locum habet: ex florenti tauro sumitur, ex ossibus, colligiturq; ætatis exitu, hyemis initio. Reponitur autem uel per se, lora tantum, & ab omni immunditia repurgata, loco sicco, in uase figulino uitreato, & obturato: uel lento admodum igne, uel uase duplici liquata: postea per pannum densiorem colata, & in loco frigido seruata. \* Calfacit, mollit, rarefacit, ulcera explet, &c. Diosc.

HIRCINA medulla quartum in bonitate ordinem tenet: \* acrior ac sicciore est. Colligitur atq; præparatur, ut præcedentes, &c. Dosis omnium medullarum est ab ℥β ad ℥ij, uel ℥iij, pro remedij quantitate.

## De Sanguine, Sectio XXIV.

**S**ANGVIS cuius in medicina usus, ex multis animalibus colligitur, dum adhuc ætate florenti sunt. Sanguis HIRCINVS in hunc modum paratur. Maturescente uua hircus quadrimus, bene habitus, iugulatur, mediusq; effluens sanguis fictili bene cocto excipitur. (nam primus tenuior, postremus crassior putatur) deinde coctus in aqua, donec concreseat, arundine fissâ secatur obliquè & transversim, ut quod in eo aqueum est, effluat: deinde linteo raro textus soli exponitur, atq; ita siccat: curandum interea, ne pluuiis aspergatur: deinde tritus uase uitreo, aut fictili uitrato bene obrurato reponitur. Alij hircum diebus canicularibus, herbis calculum frangentibus nutriunt, & uino albo odorato, donec urina nigrescat: deinde iugulant, & in eum quem supra diximus modum præparant. Hoc præparationis genus etsi inutile non uideatur, necessarium tamen non est, cum apud Græcos sanguinis hirci non eo modo nutriti, etiam usus fuerit: sed medicamenta calculum frangentia admiscebantur. \* Sanguis anseris, anatis, & hœdi, utilissimè in antidota miscentur. Palumbi autem, turturis, & columbæ, nec non perdicis, oculis cruore suffusis, & recentibus eorû uulneribus, lusciosisq; illinuntur. Peculiariter columbæ sanguis, cruorem membranis cerebri erumpentem inhibet. Hirci, capræ, cerui, & leporis sanguis inassatus sartagine, dysenterias, & cœliacorum profluvia sistit: in uino potus contra toxica efficax est. Leporinus sanguis ita ut repetit illitus, uitia cutis in facie, lentiginisq; emaculat. Caninus comode ab his bibitur, quos efferata in rabiem bestia momorderit: contra epotum toxicum auxilio est. Testudinis terrestris sanguinem epotum tradunt prodesse comitialibus. Marinæ autem testudinis cum uino, & leporis coagulo, cuminoq; contra serpentium morsus, & hausta rubetæ uenena conuenienter bibitur. Taurinus cum polenta illitus, duritias discutit, emollitq;. Sanguis equarum quæ admitturam expertæ sunt, in medicamenta additur quæ erodunt: septica uocant. Sanguine chamæleonis genarum palpebras euelli creditum est. Hoc idem uiridium ranarum sanguine præstat. Menstruus sanguis foeminarum, circumlitu conceptum inhibere existimatur: aut si omnino mulier menstrua supergrediatur, leuat podagræ dolores, & ignem sacrum, illitus. Sanguis anatis & anseris, testudinis marinæ & terrestris & hœdi in remediis internis, ut antidoto, datur ad ℥ij. Sanguis uerò hirci à ℥j. β. ad ℥iij, uel vj. præscribitur. Testudinis autem terrestris, ad hecticam, imperatur recens & crudus ad ℥j. In remediis quidem externis, mensuram quantitatemq; definire nullo modo necesse est, sed ea arbitrio & necessitati relinquenda. Ut cum ad uulnera recentia oculorum, sanguine columbæ, uel turturis imperamus, guttas aliquas in oculum traiciendas monemus. In emplastris autem usurpamus eam quantitatem, quæ necessaria est ad puluerem excipiendum, ut in emplastro de pelle arietina. Cæterum humanus sanguis, morbo comitiali lapsos confestim liberat à conuulsione, si in paroxysmo eorum labia eo fuerint irrigata. Aded est salutaris humanus sanguis, ut elephantiasis conspurcati solia in balneis ex illo temperauerint. Dioscorides, Florentini, Plinius, Rondeletius, Orpheus, & Archelaus.

## De Pinguedine, adipe & seuo, Sectio XXV.

Pinguedo seu adeps omnibus animalibus tribuitur, siue quatuor, siue duobus nitantur pedibus. Seuum uerò cornutis quadrupedibus tribuitur. Sunt autem calida & humida uel

